

Universitätsbibliothek Wuppertal

Davidis Ruhnkenii Opuscula Varii Argumenti, Oratoria, Historica, Critica

Ruhnken, David

Lugduni Batavorum, 1823

Praefatio ad Joannis Richeji

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-1677](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-1677)

P R A E F A T I O

A D

JOANNIS RICHEJI

VINDICIAS PRAETORIS ROMANI ET
JURIS HONORARII (*).

L E C T O R I

S.

Magna semper aequitatis laude Jus Praetorium flo-
ruit. Cum enim Jus civile severum ac praecisum es-
set, totumque subtili ratione, verborumque nativa
proprietas constaret: Praetor Legis verba, si seve-
riora fuerint, aequitate leniebat; si angustiora, be-
nigna interpretatione extendebat; si denique subtilio-
ra, plus utilitati communi, quam religioni verborum,
vetustatisque superstitioni tribuebat. Quae omnia
pulchre complexus Papinianus *l. 7. §. 1. D. de just.
et jur.* Jus, inquit, Praetorium est, quod Praetores
introduxerunt ADIVVANDI, vel SVPPLENDI, vel
CORRIGENDI Juris Civilis gratia. Quae cum ita
sint, nescio profecto, mirerne, an indigner, quos-
dam e Jctis nostris eo dementiae processisse, ut,
quod Praetor Juris Civilis mitigandi causa sapienter
in-

[(*) Praefationem hanc Ruhnkenium auctorem habere,
monuit nos Cl. Mahnius: et ipse Ruhnk. testatur in Ep. ad
Ritter. VI., supra p. 793.]

invenerat, puta Exceptiones, Restitutiones, Fictiones, cet. tanquam artes nefarias, quibus Jus Civile eluderetur, traducere haud dubitarint. Mirifici sane mortales, qui, quod Praetori summae laudi ducendum est, id in ejus contumeliam vertunt. At hollem horum in numero illustre nomen suum professus esset Vir praestantissimus, et de Jurisprudencia omni praeclare meritus, Jo. Gottl. Heineccius; quem, ut saepe alias, praceptoris sui, Christ. Thomasiae auctoritas in foedissimi hujus erroris societatem abripuit. Primum in *Antiquit. Jur. Civil. Lib. I. Tit. 11. §. 24.* gravissimam hanc dicam Praetori scripsit, breviter ille quidem, ut scribendi institutum ferebat, sed tamen tam impudenter, ut sanctissimum Romani Populi Magistratum legum eversorem dicere haud vereretur. Hoc forte bilem movit Juveni ad summa omnia tendenti, sed literis melioribus praematurato fato erepto, IOANNI RICHEIO, Hamburgensi, qui, postquam domi a Patre suo, suavissimi ingenii Viro, et optimo illo J. A. Fabricio liberales artes hauserat, tunc Lipsiae, V. Cl. Gottl. Cortio duce, ad interiorum civilis sapientiae cognitionem adspirabat. Scripsit igitur Anno 1730. Dissertationem, qua Praetorem Romanum et Jus Honorarium a falsissimis, quibus petebatur, criminationibus liberaret. Hanc quicumque, partium studio seposito, legerit, nae is acerrimum Richeji iudicium cum pari conjunctum doctrina admirabitur. Jam etsi omnibus ita adversariorum sententia convulsa et labefactata videretur, ut negarent quemquam in posterum futurum, qui obloqui aude-
ret: Heineccius tamen tantum abfuit, ut errorem se-

mel susceptum dimitteret, ut potius in *Historia Jur. Civil. Lib. I. §. 68, 69, 70.* denuo clamores adversus Praetorem tolleret. Ipsas Richeji Vindicias cum refutare non posset, indignis conviciis proscidit. Tribuit autem Dissertationem non Auctori, Richejo, sed Cortio, quo Praeside prodierat, forte privato, quo Cortium prosequeretur, odio obsecutus. At novas hasce calumnias nuper mascule repulit V. Cl. et Germanorum, qui haec sacra tractant, facile Princeps, Jo. Dan. Ritterus in luculento Commentario, quo Heineccii Historiam Jur. Civil. instruxit, *Lib. I. §. 69 et 70.* Hujus igitur animadversiones si cum Richeji aureolo libello conjunxeris, toties jactatae in Praetorem et Jus honorarium criminationes evanescent. Cum vero Vindiciarum nulla in his regionibus copia esset; et multi tamen earum legendarum studio flagrant; eas, ut merentur, nitidioribus typis et commodiori forma recudendas curavi. Tu, Lector, fruire, et vale.

— Ao. MDCCXLVIII.

